



## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum  
Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>  
Albertus <Magnus>**

**Antverpiae, 1621**

Cap. LV. Alia reuelatio diuinitus ostensa, ostendens quòd confirmatus sit in gloria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44148**

Et Lector, Vbi est? inquit. Cui respon-  
dit illa, dicens: Gaudet lætitia inenarra-  
bili longè valdè supra nos.

## CAP VT LV.

*Alia reuelatio diuinitus ostensa,  
ostendens quòd confirmatus sit in  
gloria.*

**A**LIVD in eius Legenda habetur, &  
similiter in Vitas Fratrum Prædi-  
catorum, vbi sic legitur: Quædam in  
Teutonia Abbatissa Cisterciensis Or-  
dinis, per se atque Sorores suas multas  
fecit pro Alberto orationes nouiter de-  
functo, eò quòd viuens frequenter eas  
sua doctrina & admonitione ad bonum  
inducere solitus erat. Quodam igitur  
manè cùm dicta Abbatissa paululum  
obdormisset, vedit ipsum Albertum  
ante Altare paratum ut populo prædi-  
caret, sed in aëre stantem; sancta autem  
femina præ timore clamans, dicebat:  
Heu! Frater Albertus cadet, quia fulci-  
mentum non habet. Cui adstans per-  
sona quædam reuerenda, ait: Frater iste  
confirmatus est, cadere non potest. Sic  
igitur

igitur consolata, auscultabat quæ ipse erat prædicaturus. Et inchoans ille ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, usque ad plenum gratiæ & veritatis.* Statimque subiunxit: *Et hoc oculis meis ego video. sicutque dispergit.*

## CAPVT LVI.

*Reuelatio de gloria Venerabilis Alberti & beati Thome eius quondam discipuli.*

**E**st etiam Libellus quidam continens reuelationes & visiones factas cuidam sanctæ virginis, nomine Machtildis de Helpede, Ordinis Cisterciensis, quæ ab infantia suam virginitatem Domino consecraverat, tam immunis à peccatis, sicut duo Confessores eius testati sunt, ut tantam innocentiam se numquam reperisse dicerent. quæ se etiam tam vilem ob humilitatis virtutem reputabat, quod ea quæ per reuelationem à Domino Iesu acceperat, aliis enarrare non tentasset, nisi coacta à suis fuisset; quemadmodum Frater Henricus